



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Quibusdam præmissis difficultas resolvitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

ARTICULUS V.

Utrum homo, cui facta esset revelatio suae damnationis, adhuc posset & teneatur sperare beatitudinem?

§. I.

Quibusdam praemissis difficultas resolvitur.

70. **S**uppono primò tanquam certum, dati ali-
quod praeceptum spei, quo homo teneatur
sperare beatitudinem, & ea omnia quae ad eam
consequendam sunt necessaria. Ita enim ex va-
riis Scripturae locis colligitur, praesertim ex illo
Psal. 4. *Sacrificate sacrificium iustitiae, & sperate in
Domino: ubi eodem tenore continetur praecep-
tum iuste agendi, & sperandi.* Et similiter Apo-
stolus ad Titum 2. expectationem beatitudinis
conjungit aliis quae iubentur sub poena aeternae
damnationis, cum sic ait: *Apparuit gratia Dei om-
nibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impieta-
tem, & secularia desideria, sobrie, & iuste, & pie vi-
vamus in hoc saeculo, expectantes beatitudinem: nam
pro saecularibus desideriis substituit inter alia
expectationem beatae spei, & eam coniungit
cum aliis ad salutem necessariis, quae sunt sobrie,
iuste, & pie vivere.* Adde quod inter alia prae-
cepta, quae Timotheus ex praescripto Apostoli
divitibus dare debebat, erat spes: *Præcipe* (inquit)
*divitibus huius saeculi non sperare in incerto divitiarum,
sed in Deo vivo.* Denique inter peccata quae
fuerunt causa reprobationis Regis Saul, nume-
ratur illud, quod non speraverit in Domino. Et
Sapient. 2. exprobratur impiis, quod non spera-
verint mercedem iustitiae. Accedit praeterea ratio
manifesta: nam contra rectam rationem est,
non confidere de Dei potentia & misericordia,
& negligere, aut non efficaciter prosequi tan-
tum bonum, quantum est vita aeterna, cum certa
promissione oblatum; aut non velle subire la-
borem, illius assequendi gratia necessarium: Er-
go datur praeceptum naturale spei, quo homo te-
netur sperare beatitudinem, & omnia quae ad
eam consequendam sunt necessaria: quamvis il-
lud non extet in Decalogo; quia, ut ait D. Tho-
mas hic quaest. 22. art. 1. est praebulum ad ip-
sum Decalogum, non minus quam fides: sicut e-
nim non possumus legem alicuius suscipere, nisi
prius credamus eum habere auctoritatem leges
ferendi; sic etiam eandem legem non possumus
approbare, & velle observare, nisi prius certò
teneamus praemia quaedam proposita esse obser-
vantibus talem legem, quae ab omnibus ejus
cultoribus firmiter sperari & expectari possunt
ideoque non debuit praeceptum spei, sicut nec
mandatum fidei, in Decalogo recenferi.

71. **S**uppono secundò casum, in titulo articuli
positum, esse quidem impossibile de potentia ab-
soluta, ut docet S. Thomas quaest. 23. de verit.
art. 8. ad 2. his verbis: *Ad secundum dicendum, quod
quamvis de potentia absoluta Deus possit revelare suam
damnationem alicui, non tamen hoc potest fieri de po-
tentia ordinata, quia talis revelatio cogeret eum despe-
rare. Et si alicui talis revelatio fieret, deberet intelligi
non secundum modum prophetiae praedestinationis, vel
praesentiae, sed per modum prophetiae damnationis,
qua intelligitur supposita conditione meritorum. Po-*

A rest ergo Deus, juxta D. Thomam, de potentia
absoluta, alicui suam revelare damnationem
absolutè, & secundum modum prophetiae praedestinationis, & praesentiae, non revelato pec-
cato.

Ratio etiam id suadet: Nulla enim est impli-
cantia, quod Deus suam scientiam cui voluerit
communicet: Sed Deus scit reprobi damnatio-
nem: Ergo poterit ipsi hanc scientiam per reve-
lationem communicare.

Confirmatur primò: Deus potest alicui dam-
nationem alterius revelare; ut constat in Christo
Domino, qui novit omnium reproborum dam-
nationem; & in reprobatione Antichristi, uni-
versali Ecclesiae revelata: Ergo & ipsi reprobo
potest propria damnationem revelare.

Confirmatur secundò: Deus potest habere
decretum non conferendi gratiam efficacem ad
resurgendum à peccato homini committenti
adulterium v.g. & hoc decretum hominibus re-
velare: At in casu isto homo committens adul-
terium certus esset suae damnationis: Ergo illius
non implicat certa notitia.

Supposita ergo huius casus possibilitate ab-
soluta, inquirimus in praesenti, an homo ille cui
sua damnationis facta esset revelatio, adhuc
posset, & teneatur ex praecepto spei sperare
aeternam beatitudinem? In cuius difficultatis
resolutione Gregorius de Arimino, & Victoria,
quos sequuntur Grañado, & Martinus, par-
tem affirmantem tenent: negantem verò am-
plectuntur Thomista. Cum quibus

Dico: Si Deus alicui suam damnationem re-
velaret, ille posset quidem adhuc desiderare &
concupiscere beatitudinem, non tamen illam
sperare; subindeque ex praecepto spei non tene-
retur sperare illam.

Prima pars conclusionis manifesta est: Nam
desiderium & amor non respiciunt bonum ut
consequendum, neque alicuius horum actuum est
motus aggressivus ad vincendam arduitatem
beatitudinis, sed illam respicit secundum se, &
ut absolute bonam: Atqui posita revelatione de
futura damnatione, adhuc beatitudo apparet
bona, & possibilis secundum se: Ergo potest ad-
huc desiderari & amari.

Secunda verò pars sua datur: Potentia ad spe-
randum includit, vel supponit iudicium de futu-
ritate beatitudinis: Sed tale iudicium non po-
test reperiri in illo cui sua damnationis reve-
latio facta est: Ergo nec potentia ad sperandam
beatitudinem. Major videtur certa: potentia
enim expedita ad actum voluntatis eliciendum
includit, vel supponit cognitionem intellectus,
regulantem actum voluntatis: Sed iudicium de
futura beatitudinis est cognitio regulans
actum spei: Ergo potentia expedita ad actum
spei, hoc iudicium includit, vel supponit. Minor
verò probatur: Facta revelatione damnationis,
homo est certus se non consecuturum salutem.
Sed cum hac certitudine non stat iudicium de
illius futuitate; cum ista duo iudicia sint con-
tradictoriè opposita: Ergo iudicium de futuri-
tate beatitudinis, non potest reperiri in illo cui
sua damnationis revelatio facta est.

E Respondent Adversarii, concessa Majori,
negando Minorem: cum enim (inquiunt) facta
homini revelatione de sua damnatione, pos-
sit illi non assentiri, potest etiam iudicare, non
obstante tali revelatione, se posse consequi
beatitudinem, ac proinde habere potentiam ad
illam

illam sperandam: sicut in homine infideli, itante revelatione mysterii sanctissimi Trinitatis, potest pro illius libertate, esse iudicium oppositum, nimirum Deum non esse Trinum in Personis.

Hanc solutionem aliqui conantur evertere, limitando conclusionem ad revelationem creditam. Unde asserunt quod licet facta revelatione, cui homo liberè non assentiatur, ut potest, itet potentia ad sperandum, non tamen itante assensu revelationis, cum quo iudicium ad spem requiritur componi nequit.

Sed præterquam quod hæc doctrina conclusionem nostram limitat, solutionem datam non infringit. Quod sic ostendo: Licet cum assensu prædictæ revelationis non componatur iudicium de consecutione salutis, tamen cum illo ita potentia ad tale iudicium habendum, cum sit potentia ad non assentiendum tali revelationi: Ergo etiam cum tali assensu stat potentia ad sperandum.

Explicatur & magis illustratur hæc ratio: In homine liberè desperante reperitur hoc iudicium, non consequatur salutem; cum quo alterum iudicium de eisdem salutis consecutione componi nequit, & tamen in illo homine est potentia ad sperandum; quia cum iudicium de non consecutione salutis sit liberum, potest oppositum formare: Ergo similiter, quamvis cum assensu revelationis prædictæ non componatur iudicium requisitum ad spem, poterit tamen componi potentia ad sperandum; quia talis assensus pro hominis libertate poterit non existere.

Explicatur amplius exemplo adducto: Cum iudicio falso de non existentia mysterii Trinitatis in infideli non componitur assensus fidei, & tamen quia iudicium illud potest non esse, pro hominis libertate, talis infidelis est potens ad credendum: Ergo similiter in nostro casu.

Aliter ergo est impugnanda solutio, hæc nempe ratione. Licet cum prædicta revelatione sit in homine potentia ad habendum iudicium oppositum; nimirum se posse consequi salutem, cum illa tamen non stat iudicium prudens de consecutione beatitudinis, neque potentia ad illud habendum: Ergo cum prædicta revelatione (dato etiam quod homo illi non assentiatur) non stat potentia ad sperandum. Consequentia patet: nam ut esset talis potentia, deberet existere prædictum iudicium, vel potentia ad illud habendum; cum actus spei regulari nequeat nisi per iudicium prudens, eò quod prudentia sit regula omnium virtutum. Antecedens etiam est manifestum: nam homo non assentiendo prædictæ revelationi, contra rationem operatur: Ergo non potest iuxta prudentiam formare iudicium talis revelationi oppositum.

Constat tamen: Licet infidelis possit revelationi non assentiri, ut de facto contingit, revelatione tamen supposita, non potest formare iudicium prudens, oppositum objecto revelato; cum hoc iudicium in hac suppositione sit peccatum, & consequenter imprudens: Ergo similiter in nostro casu, licet possit homo ille prædictæ revelationi non assentiri, iudicium tamen illi oppositum erit peccatum, & imprudens, subindeque insufficientis ad actum spei regulandum.

Ex his probata manet tertia conclusio pars: cum enim nemo obligetur ad impossibile, si ille cui Deus suam damnationem revelaret, non haberet potentiam ad sperandum, non posset præ-

cepto spei obligari ad sperandam beatitudinem: unde per omissionem huius præcepti non peccaret; omisio enim præcepti quod homo adimplere non potest, non est libera, nec proinde mala & peccaminosa: peccaret tamen, positivè desperando per actum formalem & expressum desperationis, quæ essentialiter mala est; quippe quæ per modum fugæ & recessus continet odium & detestationem ipsius beatitudinis, subindeque ipsius Dei, quatenus est bonum nostrum, & à nobis per claram visionem possideri potest.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò: Apostolus habuit revelationem certam de sua salute; & tamen timuit 1. ad Corinth. 9. *Castigo corpus meum, & in servitatem redigo, ne cum alius prædicavero, ipse reprobus efficiar*: Ergo etiam si quis habeat certam & absolutam de sua damnatione revelationem, poterit nihilominus sperare beatitudinem.

Respondeo vel Apostolum, quando hæc scripsit, nondum revelationem certam de sua salute habuisse: vel si tunc talem revelationem habuerit, ipsum non in persona propria, sed in persona cuiuslibet nostrum, locutum esse, ostendens quid unicuique, licet miraculis, prædicandi dono, & cæteris aliis clareat, præstandum sit: vel tertio ipsum Apostolum circa occasiones, quæ ipsum ad peccandum poterant inducere, ita se gessisse, ac si damnari timuisset, præsertim cum foret per ista media, nempe per castigationem, & subjectionem carnis, adimplendam esse executionem suæ prædestinationis. Ideoque re ipsa non timuit à beatitudine excidere, sed tantum voluit ostendere, castigationem carnis esse sibi necessariam; cum per hanc Deus prædestinationem suam sortiri suum effectum ordinasset: unde hæc verba, *ne reprobus efficiar*, sumuntur negativè, & idem sonant, ac si diceretur, ne mea prædestinationis effectum suum non consequatur.

Obijcies secundo: Cum revelatione damnationis stat potentia ad consequendam salutem: Ergo & ad illam sperandam. Antecedens videtur certum. Consequentia etiam apparet manifesta: cum enim plus sit consequi salutem, quam illam sperare, si cum revelatione damnationis stat potentia ad consequendam salutem, a fortiori cum tali revelatione manebit in homine potentia ad illam sperandam.

Respondeo dato Antecedente, negando Consequentiam: licet enim plus sit consequi salutem quam illam sperare, subindeque prædictæ revelationi magis opponatur consecutio salutis, quam illius spes, minus tamen ei opponitur potentia ad salutem consequendam, quam potentia ad illam sperandam. Ratio est: quia licet cum revelatione damnationis itate non possint auxilia efficiacia ad salutem, bene tamen sufficientia; subindeque licet per talem revelationem auferatur futuritio salutis, non tamen ejus possibilitas: potentia verò ad sperandam beatitudinem requirit quod illa possit prudenter apprehendi ut futura, cum spes Theologica non possit versari nisi circa bonum quod potest prudenter apprehendi ut futurum: posita autem revelatione damnationis, implicat quod salus ut futura prudenter apprehendi possit: Ergo ea posita, implicat remanere in homine potentiam ad sperandum.